



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Dialogi Personæ. Menon, Socrates, Puer Menonis, Anytus.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

*rum doctrinarum plenissimus, ideoque etiam,  
studiose legatur, dignissimus.*

DIALOGI PERSONÆ  
MENON, SOCRATES, PUER  
MENONIS, ANYTUS.

*An virtus  
disciplina  
& exerci-  
tatione; an  
vero natu-  
ra compa-  
retur.*

POTESNE mihi dicere, ô Socrates, num  
ceri possit virtus, aut non doceri, sed  
ceri: aut neque exerceri, neque disci, sed  
tura, aut alio quodam modo hominibus ac-  
dat? Soc. Ante hoc tempus, ô Menon, Tu  
fali clari fuerunt inter Græcos, & in admi-  
one constituti, & ob equitandi artem, &  
divitias: Nunc verò, ut mihi videtur, etiam  
sapientiam: & vel maxime Aristippi sodali-  
Larissæi civis. Hujus autem rei auctor  
est Gorgias. Hic enim ad civitatem delat-  
tum ex aliis Theſſalis, tum ex Alevadis, tu-  
bus tuus amator Aristippus est, primarius  
ob scientiâ amicos fecit: & sane ad hunc  
rem vos assuefecit, ut intrepidè & magnè  
respondeatis, si quis aliquid interroget, ve-  
par est facere eos qui sciunt: ut qui etiam  
exhibeat seipsum, ut qui velit ex Græcis, in-  
roget quicquid velit, & omnibus respon-  
At hic, ô chare Menon, contrarius rerum  
tus est, velut squalor quidam scientiæ fac-  
est, & videtur ex his locis ad vos scientia  
re. Si itaq; aliquem ex his, qui hîc sunt, hoc



nibus ita interrogare velis, nemo non ridebit,  
& dicet: ô hospes, puto me beatum quendam  
tibi videri, & proinde nosse, an virtus doceri  
possit, aut alio modo accedat. Tantum autem  
abest, ut ego sciam, an doceri possit, aut non, ut  
neque hoc ipsum, quid tandē omnino sit vir-  
tus, sciam. Ego igitur etiam ipse, ô Menon, ita  
affectus sum, in magna hujus rei egestate unā  
cum civibus constitutus, & me ipsum accuso,  
ut de virtute in totum nihil sciens. At de quo  
non novi quid sit, quomodo, quale quiddam  
sit, nosse possum? Aut videtur tibi fieri posse,  
ut qui Menonem non noscat in totum quis sit,  
hoc sciat, an pulcher, aut dives, aut generosus  
sit, aut etiam his contraria? Videtur tibi fieri  
posse? MEN. Non mihi. At tu, ô Socrates, re-  
vera neque quid sit virtus, nosti? Et hæc de te  
ad domum referemus? Soc. Non hoc solū,  
namice, sed etiam, quod neq; in alium quem-  
quam inciderim, qui hoc novisset, ut ego puto.  
MEN. Quid verō cum Gorgia non es collo-  
tus cum hic esset? Soc. Ego sanē. MEN. Deinde  
non videbatur tibi nosse? Soc. Non admodum  
memor sum, ô Menon. Quare in præsentia di-  
cere non possum, quomodo tunc mihi visum  
fuerit. Sed fortassis & ille novit, & tu nosti, quæ  
ille dixit. Revoca igitur mihi in memoriam,  
quomodo dixit. Aut, si mavis, ipse dicas. Tibi  
enim fortassis eadem, quæ illi videntur. MEN.  
Mihî equidem. Soc. Illum itaque finamus,

*Essentia rei  
ignorata,  
neq; quali-  
tatem ejus  
sciri posse.*



*Cādidé &  
sinceré abs  
que invi-  
dia esse o-  
mnia do-  
cenda.*

*Virtus vi-  
rorū qua-  
nam prin-  
cipalis.*

*Diuersa e-  
iusmodi cu-  
iuslibet of-  
ficia Cicero  
copiose in  
lib. Offic.  
describit.*

quandoquidē ea abest. Tu veró ipse per Deo  
ó Menon, quid virtutem esse dicis? Dic &  
invideas, quo felicissimi mendacii convinci  
si tu nosse videaris, itemque Gorgias, ego ve-  
dixi in neminem me vniquam incidisse, qui  
novisset. MEN. At non difficile dictu est ó S.  
crates. Et primum quidem si ita vis, viri vir-  
tem dicere facilius est. Est enim viri virtus  
stantem esse in Reip. negociis administrandis  
& in his tractandis, amicis benefacere, inimicis  
malé: & sibi ipsi cavere, ut ne quid tale pati-  
tiatur. Si veró vis mulieris virtutem, non di-  
cile est recensere: oportet enim ipsam domum  
recté gubernare, ita ut conservet ea quæ in domo  
sunt, & viro obediens sit. Et alia est pueri vir-  
tus, tum fœminæ, tum masculi: & viri senio-  
rum liberi, tum servi: Et multæ aliæ virtutes  
sunt, ut non sit inopia dicendi de virtute.  
fit. Nam in singulis actionibus & ætatibus  
unumquodque opus, unicuique nostrum  
tus est. Similiter autem arbitror etiam virtutes  
Soc. Multa quadā bona fortuna usus esse  
hi videor, ó Menon, qui unam quærens vir-  
tem, examē quoddam virtutum apud te reperi-  
fitarum inveni. Verum, ó Menon, secundum  
hanc circa examina similitudinem, si me inter-  
rogante de apis essentia, quidnam sit, mel  
& varias ipsas esse respondisses, quidnam  
sponderes mihi, si interrogarem te? Num  
hoc multas & varias, & inter se diversas esse



cis, quod sunt apes, aut in hoc quidem nihil differunt, sed alio quodam, velut aut pulchritudine, aut magnitudine, aut alio quodam humiliori? Dic quid responderes, sic interrogat?

MEN. Hoc sané ego responderé, quod nihil differat altera ab altera, quatenus apes sunt. Soc.

Stigitur post hæc dicerem: Hoc itaque ipsum mihi dic, o Menon, quo nihil differunt, sed idē omnes sunt, quid hoc esse dicis? Haberesne

quod mihi responderes? MEN. Ego sané. Soc.

Sic sané etiam de virtutibus, etiam si multæ & variæ sunt, unam tamen quandam speciem e-

andem omnes habent, propter quam sunt virtutes, ad quam justum est respicere eum, qui

responsurus sit, ei qui interrogavit, quid sit virtus. Aut nō intelligis quod dico? MEN. Videor

mihi intelligere, non tamen adhuc velut volo, id quod quæris, comprehendere. Soc. Utrum ve-

ro de virtute solum ita tibi videtur, o Menon, aliam quidem viri esse, aliam mulieris & alio-

rum: aut etiam de sanitate, & de magnitudine, & de robore eodem modo, ita ut aliam quidē

virī sanitatem esse putes, aliam mulieris, aut eadem ubique species est, si quidem sanitas fue-

rit sive in viro, sive in alio quocumque fuerit? MEN. Eadem mihi videtur esse sanitas & viri, &

mulieris. Soc. Nonné etiam magnitudo & robur: si quidem robusta fuerit mulier, eadem

specie & eodem robore robusta erit? Nam eodem hoc dico, ut in eo quod robur est, nihil

*Una eademq; virtutum etiam variarum species.*

*Eadem omnium hominum sanitas.*



differat robur, siue in viro sit, siue in muliere.  
 Aut videtur tibi differre? MEN. Nō mihi. Soc.  
 At virtus in eo quod virtus est, differet, siue  
 in puero sit, siue in sene, siue in muliere, siue  
 viro? MEN. Mihi quodammodo videtur, o Socra-  
 tes, hoc non amplius aliis his simile esse.  
 Soc. Quid verō viri virtutem non dicebas esse  
 remp. rectē gubernare, mulieris autē domū  
 MEN. Ego sanē. Soc. Numquid fieri potest, ut  
 quis aut remp. aut domū rectē gubernet, aut  
 quidvis aliud, si non temperanter & iuste go-  
 bernet? MEN. Non ita. Soc. Nonne, si quidem  
 iustē & temperanter gubernarint, iustitia &  
 temperantia gubernabunt? MEN. Necessarium  
 est. Soc. Iisdem ergo ambo opus habent, si bo-  
 ni esse debent, & mulier & vir, iustitia & tem-  
 perantia. MEN. Apparet. Soc. Quid verō puer  
 & senex, num si petulantes & iniusti sint, boni  
 umquam fuerint? MEN. Non ita. Soc. Senes  
 temperantes & iusti? MEN. Etiam. Soc. Omnes  
 ergo homines eodē modo boni sunt. Eadem  
 enim adepti, boni fiunt. MEN. Apparet. Soc.  
 Nō enim profectō eodem modo boni essent,  
 si non eadem ipsorum virtus esset. MEN. Nō  
 profecto. Soc. Quandoquidem igitur eadem  
 omnium virtus est, conare dicere & in mem-  
 riam revocare, quid ipsum Gorgias esse dicitur  
 rit & tu cum illo. MEN. Quid aliud, quā po-  
 se hominibus imperare, si quidem unum quod-  
 dam in omnib. quæris. Soc. Atqui quæro.

*Eadē vir-  
 tutis species  
 copiosius  
 proponi-  
 tur.*



num & pueri eadē virtus erit, ō Menon, item-  
que ſervi, ut poſſit imperare domino? Et vide-  
tur tibi adhuc ſervus eſſe qui imperat? MEN.  
Non admodum mihi videtur, ō Socrates. Soc.  
Non ſcilicet veriſimile eſt, ō optime. Adhuc e-  
nim etiam hoc confidera: Imperare poſſe di-  
cis. Non apponemus hoc juſte, non autem in-  
juſte? MEN. Ego quidem arbitror. Nam juſtitia  
ō Socrates, virtus eſt. Soc. Utrum virtus, ō Me-  
non, aut quædam virtus? MEN. Quomodo hoc  
dicis? Soc. Velut de alio quocumque ut exem-  
pli cauſſa de rotunditate dicerem ego, quod fi-  
gura quædam eſt, & non ita ſimpliciter, quod  
figura. Propterea verò ita dicerem, quod etiā  
aliæ figuræ ſunt. MEN. Rectē ſanē tu diceres.  
Nam & ego dico, non ſolum juſtitiam, ſed et-  
iam alias virtutes eſſe. Soc. Quas iſtas dicito,  
velut etiam ego tibi dicerem alias figuras, ſi ju-  
beres, ita tu etiam mihi dicito alias virtutes.  
MEN. Fortitudo itaq; mihi videtur virtus eſſe,  
& temperantia, & ſapientia, & magnificentia,  
& multa alia. Soc. Rurſus ō Menō, idem nobis  
accidit. Unam enim quærentes multas virtu-  
tes invenimus, ſed alio ſanē quā antea modo.  
At unam quæ per omnes has diſfuſa eſt, inve-  
nire non poſſumus. MEN. Non enim adhuc  
poſſum, ō Socrates, velut tu quæris, unam in  
omnibus virtutem comprehendere, quemad-  
modum in aliis. Soc. Et meritō ſanē. At ego  
quantum potero, nos ducere conabor. Intel-

*Utrum o-  
mnis virtus  
ſit juſtitia,  
an quæ-  
dā ſolum-  
modo hoc  
nomine  
deſinienda.*



ligis enim ita in omnib. rem se habere. Si quis  
interrogaret ex te hoc, quod nunc ego dicebā  
quid est figura o Menon, si ipsi respondisses.  
Rotunditas: & ille rursus interrogaret velut e-  
go, Utrum figura est rotunditas, aut quādam  
figura, diceresne, quod quādā sit figura? MEN.  
Maximē. Soc. Nonne propterea, quod etiam  
aliae sunt figuræ? MEN. Etiam. Soc. Et si insuper  
interrogasset, quales, dixisses, utique? MEN. E-  
go sanē. Soc. Et rursus de colore, si eodem mo-  
do interrogaret quid sit, & tu dixisses, Album,  
& ille postea subiecisset, Utrum album color  
est, aut quidam color, diceresne, quod quidā  
color, eo quod etiam alii sint colores? MEN. Ita  
certe. Soc. Et si proferre juberet te alios colo-  
res, diceres etiam alios, qui nihilo minus colo-  
res sunt quā album. MEN. etiam. Soc. Si ge-  
tur quemadmodum ego sermonē prosequeretur,  
& diceret, Semper ad multa devenimus  
sed mihi non ita placet. Verum quandoquidē  
multas has uno nomine appellas, & nullam ex  
ipsis esse dicis quā nō sit figura, & hoc cum in-  
ter se sint contrariæ: eo, quod sit hoc quod fi-  
guram nominas, id, quod nihilominus rotun-  
dum, quā rectum continet: Et nihilo magis  
rotundum figuram, quā rectum esse dicis.  
Aut non ita dicis? MEN. Ego sanē. Soc. Num  
quid igitur cum ita dicas, tunc nihilo magis ro-  
tundum dicis esse rotundū quā rectum, ne-  
que rectum magis rectum quā rotundum?

MEN.



MEN. Non profectó ô Socrates. Soc. Atqui figuram nihilo magis rotundum esse dicis, quam rectum, neque alterum magis quam alterum.

MEN. Vera dicis. Soc. Quid igitur sit hoc, cuius nomen Figura est, dicere conare. Si igitur ita interroganti, aut de figura, aut de colore dices: At neq; intelligo quid velis ô homo, neq; novi quid dicas: Fortassis admiratus, dixerit, Non intelligis quod quæro, id quod in omnibus his idem est? Aut neque de his dicere potes, ô Menon, si quis interrogaret, quid est, quod in rotundo, & recto, & in aliis quas figuras vocas, idem in omnibus est? Conare ut dicas, quo contingat tibi exercitatio ad respondendum de virtute. MEN. Nequaquam, sed tu ô Socrates dicito. Soc. Vis ut tibi gratificer?

MEN. Maximé. Soc. Vis igitur & tu mihi de virtute dicere? MEN. Ego sané. Soc. Conandum itaque est, æquum enim est. MEN. Maximé.

Soc. Age itaq; , conabimur tibi dicere quid sit figura. Considera igitur an hoc ipsam esse admittas. Sit enim nobis hoc Figura, quod solum ex omnib. rebus semper corpus sequitur. Satis tibi est, aut aliter quodammodo quæris? Ego enim contentus essem, si ita mihi de virtute diceres. MEN. At hoc vile quiddam est, ô Socrates. Soc. Quomodo dicis? MEN. Quod figura est juxta tuam sententiam, id quod semper corpus sequitur. Soc. Sit ita. MEN. Si ergo quis corpus se nosse negaret, & similiter velut de fi-

*Figuram  
semper se-  
qui corpus.*



gura ambigeret, quid putas á te responsum esse? Soc. Quæ vera sunt, ego responsa á me esse puto. Et si quidem ex sapientibus quispiam esset, & contentiosus ac litigiosus, qui interrogaret, dicerem ad ipsum, A me quidem dictum esse. Si veró nō recte dico, tuum nunc fuerit, ut sermonem accipias ac redarguas. Si veró quemadmodum nunc ego & tu, velut amici inter se disputare velint, mitius sanè quodammodo & magis dialecticè respondere oporteret. Est autem

*Dialecticè  
semper dis-  
serendū &  
responden-  
dū. & quid  
sit dialecti-  
cè respon-  
dere.*

tem fortassis magis dialecticè, non solum verum respondere, sed etiam per ea, quæ confiteatur se scire ac intelligere is, qui interrogat. Conabor itaque & ego tecum sic disputare. Dicenim mihi, Finem vocas quid tali significatione velut extremū & ultimum? Omnia enim hæc idem dico. Fortassis autem Prodicus á nobis dissenserit. At tu dicis finitum quid esse, & ad extremum ac terminum perductum esse? Tale quid dicere volo, nihil varii. MEN. Imò dico, & puto me intelligere quod dicis. Soc. Planè veró vocas quid, & aliud solidum, velut ea quæ in Geometria usurpantur. MEN. Ego sanè voco. Soc. Jam itaque ex his intellexeris, quid dicam figuram. De omni enim figura hoc dico, figuram esse hoc, in quod solidum finit, quod sanè in summa dixerim, figuram esse solidi finem. MEN. At colorem quid dicis, ô Socrates?

*Figurā esse  
finē solidi.*

Soc. Petulans es, ô Menon, viro seni respondendi negocia imponis. Ipse veró in memoria

revo-



revocare non vis, neque dicere, quidnam Gorgias virtutem esse dicit. MEN. At postquam tu mihi hoc dixeris, ô Socrates, ego tibi dicam. Soc. Etiam si quis coniectus sit, ô Menon, tamen te differente pulchrum te esse cognoverit, & quod adhuc amatores tibi sint. MEN. Quid ita? Soc. Quia nihil aliud quam imperas in sermonibus, id quod faciunt delicati, utpote tyrannidem exercentes, quam diu pulchritudo in ipsis durat. Et me fortassis simul contemnis, quod pulchris istis inferior sum. Gratificabor igitur tibi & respondebo. MEN. Maxime gratificare. Soc. Visne igitur ut tibi secundum Gorgiam respondeam, quomodo tu maxime assequi possis? MEN. Volo. Quid ni? Soc. Nonne defluxiones quasdam rerum juxta Empedoclem dicitis? MEN. Maximè. Soc. Et meatus in quos, & per quos defluxiones procedunt? MEN. Omnino. Soc. Et ex defluxionibus alias quidem quibusdam meatibus congruere, alias verò majores, aut minores esse? MEN. Est ita. Soc. Nonne & Visum quid vocas? MEN. Ego sanè. Soc. Ex his itaque intellige, quod dico, ait Pindarus. Est enim color defluxio figurarum visui congrua, & sensui exposita. MEN. Optimè *Color est defluxio figurarum* mihi videris, ô Socrates, hanc responsionem protulisse. Soc. Fortassis enim juxta tuam consuetudinem tibi hæc prolata est, & simul, ut *sensibilis.* arbitror, intelligis, quod ex hac dicere possis, & quid vox sit, & quid odor, & multa alia hu-



jusmodi. MEN. Maximé. Soc. Tragica enim est,  
 ô Menon, responsio. Quare magis tibi placet,  
 quam illa de figura. MEN. Mihi profectó. Soc.  
 At nō est, ô fili Alexidemi, velut ego mihi per-  
 suadeo, sed illa melior. Arbitror autem neque  
 te ita existimaturum esse, nisi quemadmodum  
 heri dicebas, necessarium est te abire ante my-  
 steria. Quare si permanseris, initiaberis. MEN.  
 At permanerē, ô Socrates, si multa hujusmodi  
 mihi diceres. Soc. Atqui promptitudinis nihil  
 omittam, & tuam in gratiam, & propter me  
 ipsum talia dicam, sed vereor, ne possim talia  
 multa dicere. Quare age conare & tu prestare,  
 quod promisisti, ut de virtute in universum di-  
 cas quid sit, & desine multa ex uno facere,  
 quod cavillatores facere dicunt eos, qui sem-  
 per amplius quid conterunt. Quare totam  
 integram sine, & dic quid sit virtus. Exemplum  
 autem à me accepisti. MEN. Videtur itaq; <sup>multa</sup>  
 ô Socrates, virtus esse velut poëta dicit, <sup>Gat-  
 dere</sup> ~~pulchris~~, & posse: Et ego hoc virtutē  
 co, Pulchra cupere & comparare ea posse. Soc.  
 Num dicis eum qui pulchra cupit, bona cupere?  
 MEN. Maxime. Soc. Num velut sint aliqui  
 qui bona cupiūt: alii veró qui mala: nō omnes  
 videntur tibi ô optime bona cupere? MEN. Nō  
 mihi. Soc. Sed quidam mala? MEN. Etiam. Soc.  
 Num dicis quód mala putent esse bona: aut cū  
 etiam cognoscant quód mala sunt, tamen ista  
 cupiunt? MEN. Utrumque mihi videtur. Soc.

*Virtus est  
 concupi-  
 scentia  
 pulcri.*



Num videtur tibi quis ô Menon **cognoscere** mala, quôd mala sunt, & tamen cupere ipsa?

MEN. Maximé. SOC. Quid dicis cupere? Num contingere ipsi? MEN. Cōtingere. Quid enim aliud? SOC. Num quôd putas mala, prodesse illi cui contingant: aut cognoscens, quod lædunt mala eum cui adsint? MEN. Sunt qui mala prodesse putant: Sunt etiam qui cognoscūt quôd lædunt. SOC. Num etiam videntur tibi cognoscere mala quôd mala sunt, hi qui mala prodesse putant. MEN. Non admodum hoc mihi videtur. SOC. Nonne igitur manifestum est, quôd hi non cupiunt mala, qui ipsa ignorant, sed illa quæ bona esse putant, sunt tamen mala? Quare qui ignorant ipsa, & bona esse putant, bona nimirum cupiunt: Aut non ita? MEN. Ita de his videtur. SOC. Quid vero hi, qui mala cupiunt, velut tu dicis, putant autem mala lædere illum cui contingant, cognoscuntne quôd ab ipsis læduntur? MEN. Necesse est. SOC. Atqui eos qui læduntur non putant hi miseros esse in quantum læduntur? MEN. Et hoc necesse est. SOC. Miseros autem, non infelices? MEN. Arbitror ego. SOC. Estne igitur qui miser & infelix esse velit? MEN. Non mihi videtur, o Socrates. SOC. Nemo ergo vult mala, siquidem talis esse non vult. Quid enim aliud est miserū esse quā

*Voluntatis*  
cupere mala, eaque adipisci? MEN. Videris vera *et facultatis diversæ*  
dicere, o Socrates, & nemo vult mala. SOC. *ratio.*  
Nonne modo dicebas, virtutē esse, velle bona



& posse? MEN. Dicebam. Soc. Nonne ex hoc dicto, velle quidem omnibus adest, & hac parte alius alio nihilo melior est? MEN. Apparet. Soc. Quare patet, si alius alio melior est, quod circa facultatem melior fuerit. MEN. Maxime. Soc. Hoc igitur est, ut apparet secundum tuam sententiam, virtus facultas comparandi bona. MEN. Penitus ita res se habere mihi videtur, velut tu nunc putas. Soc. Videamus itaque, an hoc verum dicas, fortassis enim recte dicis. Bona comparare, posse, virtutem esse dicis? MEN. Ego sanè. Soc. Bona vero nōne vocas, velut est sanitatem, & divitias, & aurum, & argentū adipisci, & honores ac magistratus in republica. Num alia quædam bona dicis, aut huiusmodi? MEN. Nō alia: sed omnia huiusmodi dico. Soc. Sit ita. Aurum itaque & argentum adipisci virtus est, velut dicit Menon magni regis patris hospes. Utrum verò huic quæstui apponis, o Menon, ut iuste & sancte fiat, aut nihil tu interest, sed etiam si quis injuste illa adipiscatur, similiter tu virtutem vocas? MEN. Non ita o Socrates, sed vitium. Soc. Omnino itaq; huic quæstui ut apparet, iustitiam aut temperantiā, aut sanctitatem, aut aliam quandam virtutis partem adesse oportet: sin minus, non erit virtus, etiam si bona adipiscatur. MEN. Quomodo enim absque his virtus fuerit? Soc. At non adipisci aurum & argentum, quum non fuerit iustum, neque sibi ipsi, neq; alii, nonne & hac

inopia



inopia virtus est? MEN. Apparet. Soc. Nihil  
 ergo magis talium bonorum quæstus, quam  
 inopia virtus fuerit. Sed, ut apparet, quod cum  
 iustitia sit, virtus est: quod verò absque omni-  
 bus talibus, vitium. MEN. Videtur mihi neces-  
 sarium esse velut dicis. Soc. Nonne singula hæc  
 paulò prius virtutis partes esse diximus, iusti-  
 tiam, & temperantiam, & omnia huiusmodi?  
 MEN. Etiam. Soc. Deinde, o Menon, mihi illu-  
 minas? MEN. Quid ita, o Socrates? Soc. Quia quum  
 te precatus sim, ut non confringeres, neque  
 frustra virtutem secares: & exempla dederim  
 iuxta quæ respondere oporteret, hoc quidem  
 neglexisti, dicis autem mihi, virtutem esse bo-  
 nam comparare posse cum iustitia. Hanc autem  
 virtutis partem esse dicis. MEN. Ego sane. Soc.  
 Nonne ex his quæ tu confiteris, sequitur: cum  
 virtutis parte facere quicquid quis facit, hoc  
 virtutem esse? Iustitiam enim virtutis partem  
 esse dicis, & singula hæc? MEN. Quid tum post-  
 ea? Hoc dico. Soc. Quia quum precatus sim,  
 ut totam dicas virtutem, multum abest, ut tu  
 quid sit, dixeris. Omnem verò actionem vir-  
 tutem esse dicis, si cum virtutis parte peraga-  
 tur, velut si dixisses, quid sit virtus tota, & jam  
 ego cognoscere possim, etiamsi tu ipsam in-  
 frustra leces. Eadem igitur interrogatione tibi,  
 chare Menon, rursus ab initio opus est, quid sit  
 virtus: aut cum parte virtutis omnis actio, vir-  
 tus fuerit. Hoc enim dicit quis quum dicit,

*Virtutis de-  
 finitio par-  
 tialis sive  
 specialis  
 improba-  
 tur. iusti-  
 tia enim  
 species est  
 virtutis:  
 Ergo per  
 hanc vir-  
 tus definiri  
 nequit.*



*Cognitio  
totius sem-  
per quam  
partium pri-  
or. Intellige  
methodum  
procedere  
ab univer-  
salibus ad  
particula-  
ria. Omni-  
um rerum  
explicatio  
debet fieri  
per notiora  
& per con-  
cessa.*

*Torpedo  
appropin-  
quantibus  
torporem  
inducens.*

quod omnis cum iustitia actio virtus est. Aut non videtur tibi rursus eadem interrogatione opus esse? Sed putas aliquem nosse virtutis partem, qui quid ipsa sit non novit? MEN. Non mihi videtur. Soc. Si enim meministi ea quae ego paulo antea de figura respondebam, rejecimus sane huiusmodi responsionem, quae per ea de quibus adhuc quaestio est, & nondum concessa sunt, respondere aggreditur. MEN. Et recte rejecimus, o Socrates. Soc. Neque ita. o optime, dum adhuc de virtute tota quaestio est quid sit, putas te per huius partes respondendo cuicumque ipsam declaraturum esse, aut etiam aliud quidvis eodem hoc modo dicendo: sed rursus eadem interrogatione opus habere, quidnam sit virtus, de qua dicis ea quae dicis. Aut nihil dicere tibi videor? MEN. Recte dicere mihi videris. Soc. Responde itaque rursus ab initio, quid tu & amicus tuus virtutem esse dicatis. MEN. Audivi equidem, o Socrates prius quam tecum congrederer, quod tu nihil aliud quam & ipse ambigas, & alios ambigere facias, & nunc, ut mihi videris, me decipis, & praestigiis uteris, & denique me incantas, ut plenus ambiguitatis fiam. Et videris mihi pernitens, si quid ludere oportet, similimus esse de specie, & reliquis Torpedini illi latae marinae. Nam haec quoque appropinquantibus & tangentibus torporem inducit. Et tu nunc mihi tale quiddam induxisse videris, ut torpeam. Revera enim ego



& anima & corpore torpeo, & quod respon-  
deam tibi, non habeo, etiam si millies de virtu-  
te multas orationes, & ad multos, & admodum  
recte, ut mihi visus sum, habuerim. Nunc au-  
tem neque quid sit, omnino dicere possum. Et  
mihi videris recte tibi consulere, quod hinc  
navi non abis, neque peregre proficisceris. Si  
enim peregrinus in alia civitate talia faceres,  
fortassis velut praestigiator abducereris. Soc.  
Versurus es, o Menon, & fere me decepisses.  
MEN. Quam ob rem maximè, o Socrates. Soc.  
Cognosco cujus gratia me assimilasti. MEN.  
Cujus itaque putas? Soc. Ut te vicissim assimi-  
lem. Ego verò hoc de omnibus pulchris novi,  
quod assimilari gaudent. Conducit enim ipsis.  
Pulchræ enim, arbitror, sunt etiam pulchrorum  
similitudines. At non vicissim te assimilabo.  
Ego verò, si quidem torpedo ipsa torpens, sic  
etiam alios torpere facit, ipsi similis sum: sin-  
minus, non. Non enim ipse abundans, alios  
ambigere facio: sed ipse quovis magis ambi-  
guus, sic etiam alios ambigere facio. Et nunc  
de virtute quid sit, ego quidem non novi, tu ta-  
men fortassis prius quidem noveras, antea quàm  
me contingeres, nunc autem similis es nesci-  
enti. Atamen unâ tecum considerare volo, &  
querere, quid sit. MEN. Et quomodo quæres,  
o Socrates, hoc, quod penitus non nosti, quid  
sit? Quale enim ex his quæ nō nosti proponēs  
quæres? Aut si etiâ quàm maxime in ipsum in-

*Noscendi  
& querendi  
ratio.*



cidas, quomodo scies, quod hoc est, quod tu non noveras? Soc. Intelligo quid dicere velis, ô Menon. Vides quod cōtentiosum hunc sermonem inducis? Quod non detur homini quærere, neque quod novit, neque quod non novit. Neq; enim quod novit, quæsierit: Novit enim, & nihil opus est ad tale inquisitionem, neque quod nō novit. Non enim novit, quod quæret. MEN. Nonne recte tibi videtur dici hic sermo, ô Socrates? Soc. Non mihi. MEN. Habesné quod dicas, cur non? Soc. Ego sane habeo. Audivi enim ex viris & mulieribus divinarum rerum peritis. MEN. Quem illi sermonem dicebant? Soc. Verum, ut mihi videtur, & pulchrum. MEN. Quem istum? Et qui sunt qui dicunt? Soc. Qui dicunt, sunt utriusque sexus sacerdotes, quibus studium fuit, ut de his quæ tractant, rationem reddere possint. Dicunt item Pindarus, & alii multi Poetæ, qui divini sunt. Quæ verò dicunt hæc sunt. Quare vides, an vera dicere tibi videantur. Dicunt enim animam hominis esse immortalem, & nunquam definere, quod sanè mori vocant: nunc verò rursus fieri: Interire autem nunquam. Oportere itaq; ob hæc sanctissimè vitam transigere. De quibus enim Proserpina pœnas ante qui luctus sumpsit, illorum animam rursus nonno anno in supernum Solem reddit, ex quibus reges clari, & robore præstantes, & sapientia maximi viri augescunt. In reliquâ verò tempore

*Anima hominum immortalis, ideoque vitam sanctissimè transigenda.*

Heroēs



Heroës sancti ab hominibus vocantur. Anima igitur, ut quæ immortalis sit, & sæpe renata, & quæ sæpe viderit, & quæ hic sunt, & quæ apud inferos, & omnes adeo res, nihil reliqui habet quod non didicisset. Quare nihil miri est, etiã de virtute & aliis, ipsam in memoriã revocare posse ea quæ prius novit. Quû enim natura tota cognata sit, & anima omnia didicerit, nihil erit uno solum revocato in memoriã, quod nunc discere & disciplinã homines vocant, alia omnia ipsum invenire, si quis virilis sit, & quæ- rendo nõ defatigetur. Querere ergo & discere totum recordatio est. Nequaquã igitur cõ- tentioso illi sermoni fidẽ habere oportet: ille enim nos segnes fecerit, & mollibus homini- bus jucundus auditu est. At hic ad laborẽ, & ad querendum industrios facit, quem ego verũ effecredens, unã tecum quærere volo, quid sit virtus. MEN. Etiam, ô Socrates. At simpliciter dicis hoc, quod nõ discimus, sed quã vocamus disciplinam, recordatio est. Potesne me doce- re, quod hoc ita se habet? Soc. Et modo dice- bam, versutũ te esse, Menon, & nunc interro- gas an docere possim te, qui disciplinã esse ne- go, sed esse recordationẽ dico, quo statim ipse mihi ipsi cõtraria dicere videar. MEN. Non per Jovem, ô Socrates, ad hoc respiciẽs dicebã, sed ex consuetudine. Quare, si quo modo indicare mihi potes, ita rem habere velut dicis, indica. Soc. At nõ est facile, in tuã tamẽ gratiã conari.

*Omnis na-  
tura sibi to-  
ta cognata.*

*Discere est  
in memo-  
riam revo-  
care.*



volo. Quare accersere mihi ex multis tuis istis pedissequis unum quemcunq; volueris, ut in hoc tibi ostendam. MEN. Maxime. Ades hic puer. Soc. Græcus est, & Græce loquitur? MEN. Admodum valde dominatus.

*Illustratio  
recordati-  
onis ab ex-  
emplis.*

Soc. Animum itaq; adverte, utrum tibi videatur, in memoriā revocare, aut a me discere.

MEN. Imo advertā. Soc. Dic itaq; mihi, o puer, cognoscis, quadrangulum spatium tale esse?

PUER. Ego sane. Soc. Est igitur quadrangulum spatium, quod has omnes quatuor lineas æquales habet? PUER. Maxime. Soc. Nonne etiam

has quæ per medium tendunt, æquales habet?

PUER. Etiam. Soc. Nonne esse poterit huiusmodi spatium & majus & minus? PUER. Maxime.

Soc. Si igitur esset hoc latus duorum pedum, & hoc duorum, quot pedum esset totum? Sic autem considera. Si in hoc latere duorum pedum esset, in illo verò unius solum pedis, aliud quid, quàm semel duorum pedum esset spatium?

PUER. Etiam. Soc. Postquam vero duorum pedum, & in illo latere est, aliud quid, quàm bis duorum pedum spatium fit? PUER. Etiam.

Soc. Duorum ergo pedum bis fit? PUER. Etiam. Soc. Quot igitur sunt bis duo pedes? Supputatione facta dicito. PUER. Quatuor, o Socrates.

Soc. Nonne fieri possit aliud huius spatii duplum ejusmodi, quod omnes lineas æquales habeat, quemadmodum hoc? PUER. Etiam.

Soc. Quot igitur erit pedum? PUER. Octo. Soc. Agg

*Quadranguli spatii  
declaratio.*

Soc. Quot igitur sunt bis duo pedes? Supputatione facta dicito. PUER. Quatuor, o Socrates.

Soc. Nonne fieri possit aliud huius spatii duplum ejusmodi, quod omnes lineas æquales habeat, quemadmodum hoc? PUER. Etiam.

Soc. Quot igitur erit pedum? PUER. Octo. Soc. Agg



Age itaque conare mihi dicere, quanta erit unaquaque illius linea. Hujus enim linea duorum pedum est. Quanta vero illa illius dupli? PUER. Manifestum est, o Socrates, quod dupla. SOC. Vides, o Menon, me nihil horum docere, sed omnia interrogare? Et nunc hic putat se scire, quanta sit linea, a qua spatium octo pedum efficietur. Aut non tibi videtur? MEN. Mihi sane. SOC. Novit igitur? MEN. Non ita. SOC. Putat autem a dupla? MEN. Etiam. SOC. Vide itaque ipsum deinceps recordantem, velut recordari oportet. Tu vero mihi dicito. A dupla linea duplex spatium fieri dicis: tale dico, non quod hoc latere longum sit, illo breve: sed æquale undique sit velut hoc, at duplum hujus, octo pedum. Verum vide, an adhuc a dupla fore tibi videatur. PUER. Mihi sanè. SOC. Nonne dupla hujus hæc fit, si aliam tantam hinc apponamus? PUER. Maxime. SOC. Ab hac itaque dicis fore spatium octo pedum, si quatuor tantæ fiant? PUER. Etiam. SOC. Describamus itaque ab ipsa æquales quatuor lineas, aliud ne quid quam hoc fuerit, id quod octo pedum esse dicis? PUER. Maxime. SOC. Nonne in ipso sunt hæc quatuor, quorum quodlibet æquale est huic quadrupedali? PUER. Etiam. SOC. Quantum igitur sit? Nonne quater tantum? PUER. Quidni? SOC. Duplum igitur est, id quod quater tantum est? PUER. Non per Jovem. SOC. At quoduplum? PUER. Quadruplum. SOC. A dupla



ergo, o Puer, non duplum, sed quadruplum fit spatium. PUER. Vera dicis Soc. Quatuor enim quater sunt sedecim nimirum. Nonne? PUER. Etiam. SOCR. Octo pedum vero a qualinea? Nonne ab hac quidem quadruplum? PUER. Ita sentio. Soc. Quadrupedale vero hoc ab huius dimidia? PUER. Etiam. Soc. Sit ita. Octo pedum vero spatium, si huius quidem dupli est, huius sesquialterum, Nonne e maiore quidem quam hac tanta linea erit, a minore vero quam illa tanta? Aut non ita? PUER. Mihi quidem ita videtur. Soc. Recte. Quod enim tibi videtur, hoc responde: Et dic mihi, Nonne hac quidem duorum pedum erat, illa vero linea quatuor? PUER. Etiam. Soc. Oporteret ergo sex pedum spatii lineam, maiorem quidem esse bipedali, minore vero quadrupedali? PUER. Oporteret. Soc. Conare itaque dicere quantum ipsam esse censeas. PUER. Tripedalem. Soc. Nonne si quidem tripedalis est, dimidium huius assumemus, & erit trepedalis, duo quidem hi pedes, unus autem ille: & illinc eodem modo: duo quidem hi, unus autem ille: & fit hoc quod dicis spatium. PUER. Etiam. Soc. Nonne si ab hoc latere trium pedum fuerit, & ab illo trium, totum spatium bis trium pedum fit? PUER. Apparet. Soc. Ter autem tres quot sunt pedes? PUER. Novem. SOCRAT. Duplum vero quot pedum esse oportuisset? PUER. Octo. SOCRAT. Non ergo a trepedali linea fit spatium



num octo pedum? PUER. Non ita. SOC. At  
qua conare nobis exacte dicere: & si non vis  
numerare, saltem ostende, a qua. PUER. At per  
Jovem, o Socrates, ego non novi. SOC. Intelli-  
gimus, o Menon, quo sit hic recordando  
progressus? Nam primum quidem non nove-  
rat, quae esset octo pedum spatii linea, quem-  
admodum neque adhuc nunc novit: Sed tunc  
putabat hanc se nosse, & confidenter respon-  
debat, velut qui nosset, & non putabat se am-  
bigere. Nunc autem ambigere se putat, &  
quemadmodum non novit, neque nosse se pu-  
tat. MEN. Vera dicis. SOC. Nonne nunc melius  
habet circa rem, quam non noverat? MEN.  
Eti hoc mihi videtur. SOC. Quum igitur  
ambigere ipsum fecerimus, & torpere, quem-  
admodum Torpedo, nunquid laesimus? MEN.  
Non mihi videtur. SOC. Operae pretii itaque  
quiddam fecimus, ut apparet, ad inveniendum  
quomodo res se habet. Nunc enim libenter  
quaeretur, ut qui non novit: tunc autem facile &  
ad multos & saepe putabat se recte dicere de  
duplo spatio, quod duplam longitudine linea  
habere oporteret. MEN. Apparet. SOC. Putas  
se prius ipsum aggressum esse, quaerere aut  
discere, hoc quod putabat se nosse, quum non  
nosset, antea quam in ambiguitatem incidit,  
 ratus se non nosse, & nosse desideravit. MEN.  
Non mihi videtur o Socrates. SOC. Utilitatem  
ergo at torpore cepit? MENON. Mihi videtur.

*Torpedinis  
vis & qua-  
litas.*



Soc. Cōsidera itaq; ex hac ambiguitate, quod etiam inveniet vnā mecum quārens, nihil aliud quā me interrogante, & non docente. Observa autem si fortē comperias me docentem & ipsi exponentem, & non ipsius opinionēs percunctātem. Dic enim tu mihi, Nonne hoc quidem quadrupedale nobis spatium est? Intelligis? PUER. Ego sanē. Soc. Alterū autē ipsi apponamus hoc æquale. PUER. Etiam. Soc. Et tertium hoc æquale utriq; illorum. PUER. Etiam. Soc. Nonne insuper explebimus hoc in angulo? PUER. Maximē. Soc. Aliud igitur quid fieri poterit, quā quatuor hæc æqualia spatia? PUER. Etiam. Soc. Quid igitur? totum hoc quotuplum huius fit? PUER. Quadruplum. Soc. Oportebat autem duplum nobis factum esse. Aut non meministi? PUER. Maximē. Soc. Nonne hæc linea ex angulo in angulum tendens, unumquodque ex his spatiis bifariam secat? PUER. Etiam. Soc. Nonne quatuor hæc sunt lineæ æquales hoc spatium comprehendentes? PUER. Fiunt. Soc. Considera igitur quantum est hoc spatium. PUER. Non intelligo. Soc. Nonne quum quatuor hæc sint, dimidium uniuscuiusq; unaquæque linea intrinsecus discidit? Aut non ita? PUER. Etiam. Soc. Quod igitur tanta in hoc insunt? PUER. Quatuor. Soc. Quot vero in hoc? PUER. Duo. Soc. Quatuor autem ad duo quid sunt? PUER. Dupla. Soc. Hoc igitur quot pedum fit? PUER.



Puer. Octo. Soc. A qua linea? Puer. Ab hac. Soc. Ab ea, quæ ex angulo in angulum quadrupedalis spatii tendit? Puer. Etiam.

Soc. Vocant autem hanc lineam Sophistæ *Diameter* Diametrum. Quare, si huic nomen est diame- *et ejus po-*  
ter a diametro, velut tu, o puer Menonis, di- *testas.*  
tus, duplum fit spatium. Puer. Maximè, o Socrates.

Soc. Quid tibi videtur, o Menon? Est ali-  
qua opinio, quam hic non ex se ipso respon-  
det? Men. Non, sed ex se ipso. Soc. Et ta-  
men non noverat pauló antea, velut diximus.

Men. Vera dicis. Soc. Erant autem in ipso hæ  
opiniones: aut non ita? Men. Etiam. Soc. In  
ergo, qui non novit, de quibus non novit,  
veræ opinionēs sunt de his, quæ non novit.

Men. Apparet. Soc. Et nunc quidem ipsi ve-  
lut per somnium cōmotæ sunt hæ opinionēs.  
Si verò quis ipsum sæpe & multis modis de iis-  
dem percunctabitur, scias quod tandem nullo  
minus exactè de his sciet. Men. Apparet. Soc.

Nonne ita ut nemo docuerit, sed saltem inter-  
rogaverit, sciet, repetens ipse ex se ipso scienti-  
am? Men. Etiam. Soc. Repetere autem i-

*Recordari*  
*est repetere*  
*scientiam.*

plum in se ipso scientiam, nonne recordari est?  
Men. Maxime. Soc. Numquid igitur scien-  
tiam quam nunc hic habet, aut accepit ali-  
quando, aut semper habuit? Men. Etiam.

Soc. Nonne si quidem semper habuit, sem-  
per etiam sciens fuit? Si verò aliquando acce-



pit, non sane in hac vita accipere potuit: aut docuit quis hunc Geometrica? Hic enim faciet eadē hāc de tota Geometria, & de omnibus aliis disciplinis. Estne igitur qui hunc omnia docuit? Æquum enim est te nosse, tum aliās, tum quod in domo tua natus atq; educatus est. MEN. At novi ego, quod nemo umquam hunc docuerit. SOC. Habet autem has opiniones, aut non habet? MEN. Necesse est, o Socrates. SOC. Si vero non in hac vita adeptus hāc novit, manifestum est quod in alio quodam tempore habuit & didicit. MEN. Apparet. SOC. Nonne est hoc tempus, quando nō erat homo? MEN. Etiam. SOC. Si igitur quo tempore erat, aut etiam quo non erat homo, erunt in ipso opiniones veræ quæ interrogationib. excitatæ fiunt scientiæ: Numquid per omne tempus anima ipsius didicit? Clarū enim est, quod per omne tempus est, aut non est homo. MEN. Apparet. SOC. Nonne si veritas rerum semper est nobis in anima, immortalis tantum fuerit anima? Quapropter confidenter oportet te, id quod nunc non scis, hoc est, id quod non recordaris, quærere & ad memoriam revocare conari. MEN. Recte mihi, nō scio quomodo dicere videris, o Socrates. SOC. Nam & ego mihi, o Menon, & de aliis quidem in sermone relatis nō admodum asseverarim. Quod vero si quærere oportere putarem, ea quæ quis novit, meliores essemus & viriliores &

minu



minus pigri, quam si putaremus fieri non posse, ut inveniamus, neque querere oportere, ea quæ non scimus: de hoc sane pertinaciter & sermone, & re ipsa, si possem, contenderim.

MEN. Et hoc mihi dicere videris, o Socrates.

Soc. Vos ne igitur, ut quandoquidem de querendo ea, quæ quis non novit, consenti-

*Querenda  
esse ea quæ  
quis non no-  
vit.*

mus, in cōmuni quid sit virtus, querere aggremur? MEN. Maxime. Attamen ego illud

primum interrogabam, libentius & confidius & audierim, utrum velut rem quæ doce-

re possit aggredi ipsam oporteat, aut velut natura, aut alio quodā modo virtus hominibus ac-

cedat. Soc. Ac si quidem ego imperarem, o Menon, non solum mihi, sed etiam tibi, non

facere prius cōsiderarem, doceri ne virtus posset, aut non, sed primum quid sit quævissemus.

Quandoquidem vero, tu tibi quidem imperarene attentas quidem, quo videlicet liber

er mihi vero imperare conaris & imperas, cōtendā tibi. Quid enim facere oportet? Videtur

agitur considerandum esse quale sit quod nondum scimus quid sit. Si igitur non aliud, parum

saltem mihi imperium laxa & permitte, ut ab exemplo hoc ipsum considerem, an ex doctrina, aut quocumque alio modo virtus contingat.

Dico autem ab exemplo hoc modo: Quemadmodum Geometra sæpe considerant post-

quam quis ipsos interrogavit, velut de spacio, an fieri possit ut in hūc circulū hoc triāgulare spa-



cium extendatur : dixerit sane quis , Nondum novi an sit hoc tale , sed velut exemplo quodam ad hanc rem opus habere me puto huiusmodi . Si quidem est hoc spacium tale , ut ad datam ipsius lineam extendenti deficiat tanto spacio , quantum ipsum quod extensum est fuerit , aliud quid contingere mihi videtur , & rursum aliud , si fieri non potest , ut hæc patiatur . Re igitur proposita , dicere tibi volo , quid contingat de extensione ipsius in circulum , an fieri possit , aut non . Sic sane etiam nos de virtute , quando quidem non scimus neque quid sit , neque quale sit , proposita re ipsa consideremus , an doceri possit , aut non , in hunc modum dicentes : Si quale quiddam est virtus , ex his quæ circa animam sunt , doceri poterit , aut non doceri . Primum quidem , si est aliud quam quæ est scientia , num doceri poterit , aut non : aut velut modo dicebamus , in memoriam revocari ? Nihil autem differat apud nos , utrovis modo utamur . Num ergo doceri potest ? Aut hoc cuivis patet , quod homo nihil aliud docetur , quam scientiam ? MEN. Mihi sane videtur . SOC. Si verò virtus est scientia quædam nimirum doceri poterit . MEN. Quidni ? SOC. Ab hoc ergo breui liberati sumus . Nam si talis est , non potest . MEN. Maximè .

SOC. Post hoc itaque , ut apparet , considerare oportet , utrum virtus sit scientia , aut aliud quid à scientia . MEN. Mihi sane videtur , hoc

*Aliapars  
est Dialo-  
gi, quomo-  
do virtus  
comparari  
possit.*



hoc post illud considerandum esse. Soc. Quid  
verò aliud quam bonum esse virtutem dici-  
mus? Et hæc propositio nobis manet, bonum  
ipsam esse. MEN. Maximè. Soc. Nonne si-  
quidem est quoddam bonum, etiam aliud à  
scientia separatum, fortassis non fuerit virtus  
scientia quædam. Si vero nihil est bonum,  
quod non scientia comprehenditur, si scienti-  
am quandam ipsam virtutem esse suspicemur,  
recte suspicamur? MEN. Est ita. Soc. Si vero  
boni, utiles. Omnia enim bona utilia sunt.  
Nonne? MEN. Etiam. Soc. Et virtus itaque  
utilis est. MEN. Necesse est ex concessis. Soc.  
Consideremus itaque singulatim repetentes,  
quæ sint ea quæ nobis utilia sunt: Sanitas di-  
cimus, & robur, & pulchritudo, & divitiæ:  
hæc & huiusmodi utilia dicimus. Nonne?  
MEN. Etiam. Soc. Eadem verò hæc dici-  
mus aliquando etiam nocere. Num tu aliter  
dicis, aut sic? MEN. Non, sed sic. Soc. Con-  
sidera quid singula hæc præcedat, ut nobis pro-  
sint: & quid, ut noceant. Nonne quum re-  
ctus usus præit, prosunt: quum non, nocent?  
MEN. Maximè. Soc. Adhuc itaque etiam ea  
quæ circa animam sunt, consideremus. Tem-  
perantiam quid vocas, & iustitiam, & forti-  
tudinem, & docilitatem, & memoriam & ma-  
gnificentiam, & omnia huiusmodi? MEN.  
Ego sane. Soc. Considera itaque quæ ex his  
videntur tibi non esse scientia, sed aliud à sci-



entia. Nonne aliquando nocent, aliquando  
profunt? velut fortitudo, si non est sapientia,  
sed velut confidentia quaedam: nonne, quum  
absque intelligentia confidit homo, laeditur,  
quum verò cum intelligentia utilitatem capit?  
MEN. Etiam. SOC. Nonne etiam temperantia  
eodem modo, & docilitas, si cum intelligentia  
& discantur & parentur, utilia sunt: absque  
intelligentia verò, damnosa? MEN. Admo-  
dum valde. SOC. Nonne in summa, omnes  
animæ aggressiones & tolerantia, præcunt  
quidem sapientia, in felicitatem desinunt: de-  
sapientia verò in contrarium. MEN. Apparet.  
SOC. Si ergo virtus aliquid ex his quæ in animis  
sunt existit, & necessarium est ipsum, utile  
esse, sapientiam ipsum esse oportet: quando  
quidem omnia quæ circa animam sunt, ipsa  
quidem per seipsa neque utilia, neque damno-  
sa sunt: accedente verò sapientia aut insipien-  
tia, damnosa & utilia fiunt. Secundum hanc  
itaque rationem quum utilis sit virtus, sapien-  
tiam quandam esse oportet. MEN. Mihi vide-  
tur. SOC. Sed & alia quæ modo dicebamus  
divitias & huiusmodi, aliquando bona, ali-  
quando damnosa esse: Numquid quemadmo-  
dum si sapientia reliquæ animæ præit, utilia  
ea quæ sunt animæ facit: si insipientia, da-  
mnosa. Sic etiam, si his anima rectè utitur  
& præit, utilia ipsa facit: si non rectè, da-  
mnosa? MEN. Maximè. SOC. Rectè autem



## DE VIRTUTE.

III

piam quæ sapiens est: non recte quæ insipiens.  
 Men. Est ita. Soc. Nonne sic de omnibus di-  
 cere licet, homini quidem alia omnia ab ani-  
 ma pendere: quæ verò sunt animæ ipsius, a sa-  
 pientia; si bona esse debeant? Et hac ratio-  
 ne sapientia fuerit id quod utile est. Dixi-  
 mus autem virtutem utilem esse. MEN. Ma-  
 gis. Soc. Sapientiam ergo dicimus virtu-  
 tem esse, aut universam, aut partem quan-  
 dam. MEN. Recte dici hæc mihi videntur,  
 Socrates. Soc. Nonne si hæc ita se habent,  
 boni natura esse non potuerunt? MEN. Non  
 mihi videtur. Soc. Etenim si natura boni fi-  
 rent, etiam hoc contingeret. Essent sanè no-  
 bis, qui bonos natura juvenes cognosce-  
 rent, quos non ex illorum judicio assu-  
 mpos custodiremus in arce multo magis obli-  
 gatos quam aurum, ut nemo ipsos corrup-  
 peret, sed ubi ad ætatem pervenirent, civitati-  
 bus utiles fierent. MEN. Verisimile est equi-  
 tem, ô Socrates. Soc. Quandoquidem ve-  
 ri natura boni non sunt, numquid disci-  
 plina? MEN. Videtur mihi jam necessarium  
 esse, & manifestum, ô Socrates, juxta propo-  
 situm, siquidem virtus scientia est quod do-  
 cerei potest. Soc. Fortassis per Jovem. Sed  
 numquid hoc non recte concessimus? MEN.  
 Atqui videbatur supra recte dici. Soc. At  
 non solum supra oportebat ipsum recte dic-  
 tū, sed etiam nunc, & in posterum,

*Boni natu-  
 ra nulli  
 sunt.*

*Ratio præ-  
 cedentis.*



si quid sani in ipso esse debet. MEN. Ad quid igitur respiciens perturbaris, & virtutem scientiam esse non credis? SOC. Ego tibi dicam, o Menon, quod equidem doceri possit, si quidem scientia est, hoc recte dici non retracto, quod vero scientia sit, considera, an meritis diffidere tibi videar. Hoc enim dici mihi, si doceri potest, quaecumque res? non solum virtus, nonne necessarium est ipsius & doctorum, & discipulos esse? MEN. Mihi sane videtur. SOC. Nonne contra, cujus neque doctorum, neque discipuli fuerint, si recte de ipso conjectaverimus, id doceri non posse conjectabimus? MEN. Est ita. At virtutis doctores non esse tibi videntur? SOC. Sæpe profecto quærens an sint aliqui ipsius doctores, & omnia faciens, invenire non possum, etiam cum multis, & maxime his quos hujus repperitissimos esse puto, quæram. Et sane enim nunc commode hic ipse assidet, quem quaestionis participem faciamus. Merito autem hoc fecerimus. Hic ipse enim primum quidem natus est ex patre divite ac sapiente Anthemione: qui dives fuit non ex casu temerario, neque ex alicujus largitione, quemadmodum nuper Ismenias Thebanus, qui Polycratidis opes accepit, sed sua sapientia ac diligentia divitias adeptus est. Deinde etiam in aliis non superbus civis visus est, neque fastuosus & cuiusquam gravis, sed moderatus & frugalis vir.

Postea



Postea hunc bene educavit & instituit, velut Atheniensem populo videtur, qui maximomagistratus ipsi defert. Justum itaque est cum talibus quærere de virtute, an sint ipsius doctores, aut non, & quinam isti. Tu igitur Anyte unâ nobiscum quære, mecum & cum hospite tuo Menone, de hac re, quinam sint isti doctores. Sic autem considera. Si velimus Menonem hunc bonum medicum evadere, ad quos doctores ipsum mitteremus? Nonne ad medicos? ANY. Maxime. Soc. Quid vero, si sutorem bonum fieri velimus, nonne ad sutores? ANY. Eriam. Soc. Et de aliis eodem modo. ANY. Maxime. Soc. Sic itaque mihi rursus de iisdem dic. Si hunc ad medicos mitteremus, dicimus, recte mitteremus si medium fieri velimus: Numquid quum hoc dicamus, istud dicimus, quod sapienter fecerimus, si ad hos ipsum potius mittamus qui artem sibi vendicant, quàm ad eos qui non: & qui mercedem exigunt, hoc ipso declarantes se esse doctores, si quis accedere & discere velit? Nonne adhuc respicientes recte miserimus? ANY. Sic opinor. Soc. Nonne etiam de tibicinum arte, & aliis eodem modo? Magna dementia esset, si aliquem tibicinem facere velimus, ad eos quidem profitentur artis doctrinam, & mercedem exigunt, mittere nolumus: aliis vero quibusdam negotia exhibeamus, ut ab illis discat, qui neque doctores se esse pro-



fitentur, neq; est ullus ipsorum discipulus huius disciplinæ, quam nos ab ipsis discere volumus, eum quemcumq; tandem miserimus? Nōne magna absurditas esse tibi videtur? ANX. Etiam per Jovem, mihi etiam insania insuper esse videtur. Soc. Recte dicis. Nunc itaque licet tibi mecum in communi de hospite hoc Menone deliberare. Hic enim, o Anyte, dum ad me dicit, se hanc sapientiam & virtutē cupere, qua homines & privatas domos, & respublicas recte gubernant, & parentes suos colunt, & cives & externos tum excipere, tum dimittere sciunt, prout dignum est bono viro. Ad hanc igitur virtutem comparandam, considera, ad quos nam recte ipsum miserimus? aut manifestum est juxta superiorem sermonem, quod ad eos, qui profitentur se esse virtutis doctores, & qui se in communi omnibus Græcis exponunt qui discere volunt, mercedem hujus gratia statuentes & exigentes? ANX. Et quos nam dicis hos, o Socrates? Soc. Nōne fanē etiam tu esse hos, quos homines vocant sophistas? ANX. Hercules, bona verba, quæ lo-  
o Socrates. Neminem ex cognatis, aut familiaribus, aut amicis, aut civibus, aut externis tāra insania corripiat, ut ad hos accedat & perdat. Nam hi manifesta pestis ac perniciēs sunt eorum, qui cum ipsis conversantur. Soc. Quomodo dicis, o Anyte? Num hi soli ex his, qui beneficio afficere se nos profitentur,

*Sophista  
pestis ac  
perniciēs  
reipublicæ.*

*tantum*



tantum ab aliis differunt, ut non solum non  
prolint, velut alii, si quis ipsis aliquid commit-  
tat, sed etiam contra corrumpant, & horum  
gratia palam pecunias exigant? Ego igitur  
non scio quomodo tibi credam. Novi enim  
unum virum Protagoram plures pecunias ex  
hac sapientia adeptum, quam Phidiam, qui  
adeo insigniter pulchra opera fecit, & decem  
alios statuarios. Quamquam monstri simile  
dicis, si hi, qui calceos veteres reficiunt, & ve-  
stes refarciant, per triginta dies latere non pos-  
sunt, si peiores reddiderunt quam acceperunt  
tum vestes tum calceos: Imo si talia fecerint,  
fortassis fame perierint. Protagoras autem to-  
tam Græciam fefellit, dum conversantes cum  
ipso corrumpit, & supra quadraginta annos de-  
teriores dimisit quam assumpsit. Arbitror e-  
nim ipsum mortuum esse septuaginta fere an-  
nos natum, quadraginta verò artē professum.  
Et per omne hoc tempus in hunc usque diem  
existimatio ipsius non cessavit. Et non solum  
Protagoræ, sed etiā aliis multis, qui partim ante  
illum fuerunt, partim adhuc nunc sunt, ita res  
successit. Utrum igitur juxta tuam sententiam,  
scientes ipsos decipere ac perdere adolescen-  
tes dicemus, aut fallere etiam seipsos, & sic in-  
sanire judicabimus hos, quos aliqui sapien-  
tissimos mortalium esse dicunt? ANY. Multū  
abest ut insaniant, ô Socrates, sed multo magis  
adolescētes qui illis pecuniā dant: & his adhuc



*Sophista  
civitati-  
bus expel-  
lendi.  
Nihil te-  
mere pro-  
nuntian-  
dum, cujus  
non habeas  
experien-  
tiam.*

magis, horum cognati qui id ipsis permittunt longe omnium verò maxime respublicæ, qui ipsos recipiunt, & non expellunt, sive externus quispiam, sive civis tale quid facere aggitur. Soc. Utrum verò injuria affecit te aliquis Sophistarum, ô Anyte, aut cur ipsi succenses? ANY. Per Jovem neque ego umquam cum ullo ipsorum congressus sum, neque aliquem quempiam meorum permiserim. Soc. Nullam igitur de viris experientiam habes? ANY. Et utinam ne experiar. Soc. Quomodo igitur scire poteris, ô beate, de hac re, an quid boni aut mali in se habeat, cujus nullam experientiam habes? ANY. Facile: hos itaque novi qui sint, sive experientiam habeo, sive non habeo.

Soc. Vates fortassis es, ô Anyte: nam mirum sit, quomodo alias nosse de his quæ ipse dicis. At enim non hos quærimus qui sint, ad quos Menon accedens malus fiat. Hi enim, si ita vis, sint Sophistæ. Sed illos dic nobis, & patrum hunc amicum beneficio affice, relatis his ad quos accedens in tanta civitate, virtutem quam ego nunc recensui, pro dignitate consequatur. ANY. Quid vero non ipse refert? Soc. At quos quidē ego doctores esse putabam, dixi, sed ut tu dicis, nihil dico. ANY. Et fortassis aliquid dicis. Soc. Quare tu ex parte ipsi dicas, quos Atheniensium accedere debet. Profer nomen cujuscunq; voles. ANY. Quid vero unius homi-



hominis nomen proferre opus est? In quemcumque enim præstantem ac bonum Atheniensem inciderit, nemo est, qui non meliorem ipsum faciet quam Sophistæ, si modo parere voluerit. Soc. Nunquid hi præstantes & boni sua sponte tales facti sunt, ita ut à nemine didicerint, & tamē alios docere possint ea, quæ ipsi nō didicerunt? Any. Ethos ego iudico à prioribus qui præstantes ac boni fuerunt didicisse. Aut non videntur tibi multi præclari & boni viri in hac civitate fuisse? Soc. Mihi sanē, ô Anyte, & esse videtur hi præstantes in republica administranda viri, & fuisse etiam non minus quā esse: sed num etiam doctores præstantes suæ virtutis fuerunt: Hoc enim est de quo nobis sermo est, non an sint, aut nō sint hic boni viri: neq; an in superiore tempore fuerint, sed an doceri possit virtus, dudum consideramus. Hoc autē considerantes, istud consideramus, Num boni viri & qui nunc sunt, & qui prius fuerunt, hanc virtutē qua ipsi præstantes fuerunt, etiā alii tradere noverunt: aut non tradipossit hoc homini: neq; in alium ab alio transfumi. Hoc est quod ego & Menon dudum querimus. Sic igitur ex tuo ipsius sermone rem cōsidera. Themistoclem non bonum virum fuisse fateris? Any. Ego sanē maximē omnium. Soc. Nonne & doctorem bonum, si quis alius virtutis suæ doctor fuit, etiam illum fuisse. Any. Arbitror ego, siquidem voluisset.



Soc. At putas quod non voluerit, tum alios quosdam præstantes ac bonos fieri, tum maxime filium suum? aut putas ipsum invidisse illi, & de industria virtutem non tradidisse, in quo ipse præstans erat? aut non audivisti quod Themistocles filium Cleophantum docuerit, ut

*Themistoclis filius eques præstans.*

eques præstans fuerit. Erectus itaque in equis stans manebat, & erectus de equis jaculabatur, alia multa & admiranda faciebat, in quibus ille ipsum erudierat, & sapientem fecerat, in quantum bonos doctores attigerat. At hæc est senioribus non audivisti? ANY. Audivi Soc. Non ergo naturam filii ipsius accusare quis poterit, velut quæ mala sit? ANY. Fortassis non. Soc. Quid verò hoc, quod Cleophantus Themistoclis filius vir bonus & sapiens in his quibus pater ipsius claruit, nunc ab aliquo juniore aut seniore audivisti? ANY. Non sanè. Soc. Num. g. putamus in his ipsum voluisse filium suum instituere, in qua verò sapientia ipse præstans erat, nihilo vicinis præstantiorē facere voluisse, siquidē doceri virtus posset? ANY. Fortassis per Jovē non. Soc. Hic itaque tibi talis virtutis doctor, quem etiam tu confiteris inter optimos ex prioribus fortasse. Alium autē consideremus Aristidem Lyfimachi. Aut hunc non confiteris bonum fuisse? ANY. Ego sane omnino. Soc. Nonne & hic filium suum Lyfimachum, in quantum doctores attigerat, optime omnium Atheniensium instituit? Virum autem meliorem quovis alio fecisse



fecisse ne tibi videtur? Cum hoc enim & tu  
 conversatus es, & vides qualis fit. Si veró vis,  
 Perielem magnificé adeo sapientem virum,  
 nosti ipsum duos filios educasse, Paralú & Xan-  
 thippum. ANY. Ego sané. Soc. Hos equidem,  
 velut nosti, equites quidem fecit nullo Athe-  
 niensium inferiores: & musicam, & certami-  
 num genera, & alia quæ arte constant edocuit,  
 ut nullo essent deteriores. Bonos autem viros  
 facere non voluit? Arbitror equidem voluis-  
 se, sed docere res non poterat. Quo veró non  
 paucos & vilissimos Atheniensium putes hoc fa-  
 cere non potuisse, cogita, quod etiá Thucydi-  
 des duos filios educavit, Melesiá & Stephanú:  
 Et hos tum in aliis recte instruit, tum optimos  
 luctatores effecit, ut qui alterum Xanthiæ, al-  
 terum Eudoro instituendú tradiderit. Hi veró  
 eo tēpore lucta omnib. præstare videbantur.  
 Aut nō meministi? ANY. Ego audiuisse me me-  
 mini. Soc. Nōne his ea quidē in quæ sumptú fa-  
 cere oportebat, filios suos edocuit: in quæ veró  
 nullo sumptu opus erat, ut bonos viros faceret,  
 ea sc. nō docuisset si doceri potuissent? At. n.  
 fortassis Thucydides vilis quispiá erat? At nō-  
 ne habebat plurimos amicos tú Atheniēses, tú  
 auxilios. Imó & ex familia magna erat, & mul-  
 ta erat ipsi in hac republica, & apud alios Græ-  
 cos potētia. Quare, si quidē doceri potuisset, in-  
 venisset utiq; qui filios ipsius bonos effecisset,  
 aut ex indigenis, aut de externis aliquē, si ipsi nō



fuiſſet otium, ob reipublicæ adminiſtranda  
 curam. At enim vereor, ô chare Anyte, ne  
 virtus doceri poſſit. ANY. O Socrates, vide-  
 ris mihi facile de hominibus maledicere. Ego  
 igitur conſuluerim tibi, ſi mihi parere velis, ut  
 caveas. Nam & in alia fortassis civitate facile  
 eſt hominibus bene aut malè facere, in hac ve-  
 rò admodum. Arbitror autem te ipſum hoc  
 noſſe. Soc. O Menon, Anytus videtur mihi  
 ſuccenſere, & nihil miror. Primum enim putat  
 me hos viros accuſare. Deinde putat etiam, ſe  
 ipſum unum ex his eſſe. At hic ſi aliquādo co-  
 gnoſcet quid ſit hominibus maledicere, ſuc-  
 cenſere deſinet. Nunc autē ignorat. Tu vero  
 dic mihi, num etiā apud vos ſunt præſtantes  
 & boni viri? MEN. Maximè. Soc. Quid igitur  
 volunt ne hi exhibere ſeipſos juvenibus do-  
 ctōres, & confiteri ſe eſſe doctōres, aut virtu-  
 tem doceri poſſe? MEN. Non per Jovem, o So-  
 crates: Sed nunc audieris ex ipſis quod doceri  
 poſſit, nunc ruruſus quod non poſſit. Soc. Dice-  
 mus igitur hos eſſe huius rei doctōres, qui ne-  
 que hoc ipſum confitentur? MEN. Non mihi  
 videtur, o Socrates. Soc. Quid vero, Sophiſtæ  
 hi, qui ſoli profitentur, videntur ne tibi virtutis  
 doctōres eſſe? MEN. Et Gorgiam ob hoc ma-  
 xime laudo, o Socrates, quod numquā audieris  
 ipſum hoc promittentem, ſed & alios deridet,  
 quum promittere hoc ipſos audit. Sed profi-  
 teri oportere putat, eloquentes facere poſſe.  
 Soc.



Soc. Ergo neque Sophistæ videntur tibi doctores esse? MEN. Non habeo quod dicam, ô Socrates. Nam & mihi idem quod multis accidit, nunc quidem videntur, nunc verò non.

*Sophistæ non sunt virtutis doctores.*

Soc. Nosti verò non solum tibi & aliis civilibus viris ita videri, modo quidem doceri posse, modo verò non: sed etiam Theognidem

*Theognidis versus contrarii.*

Poëtam eadem hæc dicere nosti. MEN. In quibus versibus? Soc. In Elegiis, ubi dicit:

*Tu bibe, tuq; ede cum his, quorum sit magna potestas,*

*Affide & his semper, deinde placere stude.*

*Namq; boni bona dant: sed consuetudo malorum*

*Perdet, si qua prius vel bona mens fuerit.*

Nosti quod in his velut doceri virtus possit, dicit? MEN. Apparet. Soc. In aliis autem paululum progressus, mentibus induci posset, si virtus (inquit) dicit quodam modo, quod multam & magnam mercedem ferrent, qui hoc facere possent, & numquam ex bono patre, malus esset filius;

*Consiliis parens rectis, verum ipse docendo*

*Efficiens numquam, ut sit malus inde bonus.*

Intellige, ipsum sibi ipsi de iisdem contraria dicere. MEN. Apparet. Soc. Potesne igitur dicere in aliam quamcumque rem, cujus hi quidem, qui se doctores esse asserunt, non solum non aliorum doctores se esse confitentur, sed neq; ipsi scire: verum viles & pravos esse circa hanc ipsam rem cujus doctores se esse asserunt: Qui



veró confitentur se bonos & præstantes esse, nunc quidem doceri ipsam posse asserunt, nunc autem negant? Eos igitur, qui ita circa quantumque rem turbati sunt, dixeris ne tu propriè doctores esse? MEN. Per Jovem non ego. Soc. Nonne si neque Sophistæ, neque qui præstantes & boni sunt, rei doctores sunt, manifestum est quod non alii. MEN. Non mihi videtur. Soc. Si veró non doctores, neque discipuli? MEN. Videtur mihi ita res se habere, velut dicis. Soc. Confessi autem sumus, rem, cuius neque doctores neque discipuli sunt, eam doceri non posse? MEN. Confessi sumus. Soc. Nonne virtutis doctores nusquam apparent? MENON. Est ita. SOCRATES. Si veró non doctores, neque discipuli? MENON. Apparet ita. SOCRAT. Virtus ergo doceri non potest? MEN. Non apparet, Si nos rectè consideravimus. Quare etiam admiror, ô Socrates, an neque sint boni viri, aut quis sit modus, per quem fiunt boni viri. SOCRAT. Videmur, ô Menon, ego & tu viles quidem viri esse. Et te Gorgias, & me Prodicus non satis erudiisse videtur. Proinde præ omnibus animum nobis ipsis advertamus, & quæramus aliquem qui nos uno modo meliores efficiat. Hæc autem dico ad propositam quæstionem respiciens. Nam ridicule nos latuit, quod non solum scientia præeunte, rectè & bene hominibus res peraguntur: aut si non hoc concesserimus, quod

*Virtus doctrina aut  
disciplina  
non comparatur.*



quod non solum scientia præeunte, sed etiam  
alia quadam re: fortassis effugerit nos cogni-  
tio, qua sciamus quonam modo homines bo-  
ni sunt. MENON. Quomodo hoc dicis, ô So-  
crates? SOCRATES. Hoc modo, quod quidem  
bonos viros utiles esse oportet, recte confessi  
sumus, hoc aliter habere. Numquid? MEN.  
Etiam. SOCR. Et quod utiles erunt, si recte no-  
bis in rebus gerendis præfuerint, etiam hoc  
recte confitemur? MEN. Etiam. SOC. Quod  
autem non recte præesse possit, si non quis sa-  
piens sit, hoc non recte confessi esse videmur.  
MEN. Quomodo non recte dicis? SOC. Ego ti-  
bi dicam. Si quis ignarus viæ ad Larissam, aut  
quo volens alio, is si adiverit, aut aliquis præive-  
rit, aliudne quid quam recte & bene præiverit?  
MEN. Maximè. SOC. Quid verò si quis recte  
quidem opinatur quæ sit via, profectus autem  
numquam, neque sciens, adiverit, aut aliis præ-  
iverit, nonne & hic recte præiverit? MEN. Ma-  
ximè. SOC. Et donec rectam opinionem habet  
de his, quorum alter scientiam habet, nihilo  
deterior duxerit, putans quidem vera, non au-  
tem sciens, quam is qui hoc novit? MEN. Nihilo  
sane. SOC. Opinio ergo recta ad actionis re-  
ctitudinem, nihilo deterior dux est quam sapi-  
entia ac scientia. Et hoc est quod supra reliqui-  
mus in consideratione de virtute, quale quid  
esset: quæ dicerem, quod sapientia solū in recto  
faciendo præiret. At hoc erat etiā opinio vera.



MEN. Apparet. Soc. Nihil ergo minus utile est recta opinio quam scientia. MEN. In tantum sane o Socrates, quod qui scientiam habet semper assequitur: qui vero rectam opinionem quandoque assequitur, quandoque non. Soc. Quomodo dicis? Qui semper habet opinionem rectam, nonne semper assequitur, donec recte opinatur? MEN. Necessarium esse mihi videtur. Quare admiror, o Socrates, cum hoc ita habeat, quid tandem scientia multo præstantior recta opinione habeatur, & cur diverſa sint? Soc. Noſti igitur cur admireris, aut ego tibi dicam? MEN. Maxime, dic. Soc. Quia Dædali ſtatuis animum non advertiſti. Fortaſſi autem non ſunt apud vos. MEN. Ad quid veni hoc dicis? Soc. Quod etiam hæc, ſi quidem ligatæ non fuerint, auſugiunt & fugitivæ ſunt: ſi vero ligatæ, manent. MEN. Quid tum poſtea? Soc. Ex illius operibus ſolutum quidem comparare, non magni pretii res eſt, quemadmodum neque fugitivum hominem: non enim permanet: ligatum vero multi pretii eſt. Sunt enim opera admodum præclara. Ad quid igitur hæc dico? Ad veras ſcilicet opiniones. Næ & veræ opiniones quamdiu quidem permanent, præclara res ſunt, & omnia bona operantur. Verum multo tempore permanere non volunt, ſed ex hominis anima fugiunt. Quare non multi pretii ſunt, donec quis ipſas cauſas rationatione ligarit. Hæc autem eſt, o amice

Menon,

*Scientia &  
opinionis  
differētia.*

*Statua Dæ-  
dali fugi-  
tiva.*



Menon, recordatio, velut in superioribus á nobis consensum est. Postquam veró ligatæ fuerint, primum quidem scientiæ sunt, deinde stabiles. Et propterea præstantior est scientia recta opinione, & vinculo differt scientia á recta opinione. MENON. Per Jovemò Socrates, tali quodam differre videtur. SOCRATES. Sed & ego non ut qui sciam dico, sed conjecto. Quód vero aliud quid sit recta opinio á scientia, hoc non admodum conjectare mihi videor: sed si quid aliud scire me dixerim, pauca veró dixerim, unum sane etiam hoc posuerim inter ea quæ scio. MENON. Et recté, ô Socrates, dicis. SOCRATES. Quid veró hoc non recte, quod vera opinio si præeat uniuscujusque actionis opus, nihilo deterius efficit, quàm scientia? MENON. Et hoc vere dicere mihi videris. SOCRATES. Nihil ergo recta opinio deterius est quàm scientia, neque minus utilis ad actiones: Neque vir qui habet rectam opinionem, quam is qui scientiam habet. MEN. Est ita. Soc. Sed & bonum virum utilem esse a nobis consensum est. MEN. Etiam. Soc. Postea igitur non solum per scientiam, boni & civitatibus utiles viri fuerint, si quidem fuerint, sed etiam per rectam opinionem: Horum autem neutra ex natura hominibus adest, neque scientia, neque opinio vera: aut videtur tibi alterutra ipsarum ex natura adesse? MEN. Non sane mihi. Soc.

*Neque scientia neque opinio vera á natura insunt.*



Nonne si non ex natura, neq; boni viri ex natura fuerint? MEN. Non certe.

Soc. Quando quidem vero non natura, considerabamus postea an doceri virtus possit.

MEN. Etiam. Soc. Nonne doceri posse visa est si sapientia esset ipsa virtus? MEN. Etiam. Soc.

Etsi doceri posset, sapientia esse visa est? MEN. Maxime. Soc. Etsi quidem doctores essent,

doceri posse visa est: si non essent, neque doceri? MEN. Ira. Soc. Atque confessi sumus non

esse ipsius doctores. MEN. Est ita. Soc. Confessi ergo sumus neque doceri ipsam posse, neque

sapientiam esse. MEN. Maxime. Soc. At vero bonum ipsam esse confitebamur? MEN. Etiam.

Soc. Utile autem & bonum esse id quod recte praestit? MEN. Maxime. Soc. Recte autem praestare

duo haec solum, opinionem veram & scientiam, quae si habet homo recte praestit. Nam

quae a fortuna contingunt, non humano ductu fiunt. Per quae vero dux est homo ad id

quod rectum est, duo haec sunt, opinio vera & scientia. MEN. Mihi ita videtur. Soc. Nonne

quandoquidem doceri non potest, neque per scientiam sane virtus contingit? MEN. Non

apparet. Soc. Cum ergo duo sint bona & utilia, alterum quidem reprobatum est, & non

fuerit scientia dux in civili actione. MEN. Non mihi videtur. Soc. Non ergo sapientia quaedam,

neque ut qui sapientes sint, tales viri rebus publicis praesunt, Themistocles scilicet,

*Sola scientia & vera opinio recte praestit.*



hi, quos paulo antea Anytus hic recensebat. Quapropter etiam tales facere non possunt, quales ipsi sunt, ut qui non per scientiam tales sint. MEN. Videtur res ita se habere, ô Socrates, velut dicis. Soc. Nonne si non scientia, opinio recta restat, qua viri civiles utentes, civitates & respublicas regunt, nihilomagus sapientia præstantes, quam vates & qui responsa dant. Nā & hi dicunt quidē vera & multa, nihil autē sciunt ex his quæ dicūt. MEN. Videtur ita res se habere. Soc. Nonne dignū est, ô Menon, ut hos viros divinos vocemus, qui cū mente præditi non sint, multa tamē & magna tum faciendo, tum dicendo, rectē perpetrant. MEN. Maxime. Soc. Recte igitur vocaverimus divinos & eos quos nunc dicebamus vates, & qui responsa dant, & omnes Poeticos homines: & non minus his, etiam civiles viros divinos esse, & numine duci dixerim⁹, ut qui afflati sint, & ex Deo correpti, cū multas & magnas res dicendo recte peragant, & nihil tamen ex his, quæ dicunt, intelligant. MEN. Maximē. Soc. Et sanē mulieres bonos viros divinos vocāt. Et Lacones cum aliquem bonū virum laudibus vehūt, Divinus vir hic est, ajunt. MEN. Et videntur sanē ô Socrates, recte dicere: etiam si fortis hic Anytus hoc dictum á te ægre ferat. SOC R A T. Nihil mihi curæ est: & cum hoc quidem, ô Menon, etiam rursus disputabimus. Si veró nunc in tota hac disputatione recte quæsim⁹

*Viros civiles esse divinos.*

*Divini appellatio quibus conveniat.*



*Virtus di-  
vinat an-  
tum sorte  
accedit.*

ac diximus, virtus sané neque natura contige-  
rit, neq; doceri poterit, sed divina sorte acce-  
dit absq; intelligentia, his quibus accesserit, si  
non sit quis ex civilibus viris ejusmodi, ut et-  
iam alium civilem facere possit. Si veró fuerit,  
hic feré talis inter vivos dici poterit, qualem  
dixit Homerus Tiresiam inter mortuos esse  
ubi de ipso ait, quod inter eos, qui apud infé-  
ros sunt:

*Ille sapit solus, reliqui volitant velut umbra.*

Eodem modo etiam hic talis, velut juxta um-  
bras, res vera fuerit ad virtutem. MEN. Optime  
dicere mihi videris, ô Socrates. Soc. Ex hac  
itaque ratiocinatione, ô Menon, divina sorte  
nobis accedere videtur virtus, quibus accedit.  
Verum rem certâ de ipsa tunc cognoscemus,  
quum antea quam quo modo hominibus vir-  
tus accedit, quærere prius aggrediemur, quid  
tandem ipsa per seipsam sit virtus. Nunc veró  
tempus est mihi, ut aliquó abeam. Tu veró  
hæc quæ tibi persuasa sunt, etiam hospiti tuo  
huic Anyto persuadeas, ut mansuetior fiat.  
Nam si huic persuaseris, aliquando etiam A-  
theniensibus prodesse poteris.

F I N I S.

ETHICA